



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

10 Remedia contra gulam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

130 CHRISTIANARVM  
numque Sanctorum, bona facere, & mala  
pati, in eo que ad finem perdurare.

CAPVT X.

REMEDIA CONTRA GVLAM.

**P** R I M V M, Consortia potatorum deuita-  
re, & omnes occasiones fugere, iuxta ad-  
monitionem sapientis: *Noli esse in conuiuio*  
*potatorum, nec in comessationibus eorum.* Et postea:  
Ne inquearis vitum quando flauescit, quum  
splenduerit in vitro color eius: ingreditur bla-  
de, sed in nouissimo mordebit vt coluber, &  
sicut regulus venenum diffundet. Difficilli-  
mum est, in deliciis non excedere, & in mul-  
titudine ac nouitate ferculorum mediocrita-  
tem seruare, dum posteriora nouitate delitia-  
rum prouocant appetitum præcedentibus sa-  
tium, vt pulchrè docet B. Bernardus, Apolo-  
gia ad Guilielmum Abbatem.

2. Considerare incommoda animæ & cor-  
poris, quæ ex gula proficisci solent. Animæ qui-  
dem sunt, Primò, Luxuriâ. Nam teste B. Hie-  
ronymo, venter vino æstuans citò spumat in  
libidinem: & B. Paulus ait: *Nolite inebriari vi-*  
*no, in quo est luxuria.* Secundò, cordis aduersus  
misericordiam obduratio. Vrait Propheta: *Bib-*  
*bentes in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil*  
*compatiebantur super contritione Ioseph.* Ita diues  
epulo non est compassus Lazaro. Tertiò, Ira  
& homicidia. Vinum (inquit Sapiens) multum  
potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas  
facit. Sic enim B. Ioannes Baptista, in conuiuio  
Hero-

Epist. 83

ad Ocea-  
num.

Ephes. 5.

Amos 6.

Luci. 16.

Eclli. 31.

Matt. 14.



Herodis, martyriū sustinuit. Corporis autem incommoda sunt, Primò, infirmitas. *Vigilia Eccli. 32. & cholera & tortura homini infrunito: somnus san- nitatis in parco homine.* Secundò, paupertas: *Eccli. 19.* nam operarius ebriosus non locupletabitur. Tertiò, mors: iuxta illud, *Propter crapulam mul- Eccli. 37. ti obierunt.*

3. Considerare, quantoperè hoc vitium displiceat Deo, cū, Primò, venter hominis Deus constituatur, vt ait Apostolu. *Quorū Deus venter est.* Secundò, templum spiritus sancti vertatur in sordidissimā culinam, immò cloacam, *serm. 231. de teporè.* Tertiò, membra Christi efficiantur bestię sine ratione, adeoq. bestiis deteriora, quę naturam vltra satietatē nō grauant. Proinde Deus hoc vitium frequenter in ista vita grauitè est vltus, dum Holofernes ebrius à Iudith est occisus: *Iud. 13.* Amnon ebrius in conuiuio periit: filij *2. Reg. 13.* Iob à dæmone oppressi sunt: & filij Israël ob *Iob 1.* esum carniū cōcupitū, diuinam iram sustinuerunt. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, Num. 11. & ira Dei ascendit super eos.* Deniq. vniuersum genus humanum, gulæ primorum parentum pœnas etiamnum luit. *Psal. 77.*

4. Considerare, hoc vitium gulæ, sicut aduersatur naturæ humanæ, ita valdè gratum esse diabolo, inimico eiusdem naturæ, qui ambulans per loca arida, dum requiem non inuenit *Matt. 12. Iob 40.* in sobriis, quiescit in locis humentibus.

5. Vt homo sibi pœnitentiam statuat die vno atq. altero, aut etiam tertio, victitandi panis & aquæ, cibumque, quem fuisset sumpturus,



rus, pauperibus erogandi, si in ebrietatē labatur; neq. de hac pœna quicquam remittat.

## CAPVT XI.

REMEDIA CONTRA ACEDIAM.

**P**RIMUM, Considerare beneficia atque labores Christi, pro nobis susceptos, quibus excitari debemus, vt aliquid in eius gratiam agamus.

2. Cogitare facilitatem operis boni, cuius difficultatem Christus passione sua sustulit.

*Ioan. 16.* Confidite, inquit, ego vici mundum. Iugum meum

*Matt. 11.* suauē est, & onus meum leue. & (vt inquit Aposto-

*1. Ioan. 5.* lus) mandata eius graua non sunt. Ero, inquit

*Osea 11.* Dominus, quasi exaltans iugum super maxillas eorum: Itaque suauiter equitat, quem gratia Dei portat.

*Matt. 23* 3. Perpendere operis necessitatem. Nam infernus impendet non laborantibus: cum seruus malus, & piger mittatur in tenebras exteriores, non aliam ob causam, quàm quod talentum Domini sui ad lucrum non expendisset. Sicut ergo puer de virga cogitās, & operarius de inedia, excitat se, hic ad laborē externum, ille ad litterarū studia: ita meritō excitari debet ad discutiendam pigritiam, qui pœnas secuturas considerat.

4. Contemplari omnium creaturarū indefessum laborē, ad voluntatē Dei. Sol enim & omnia sydera immensum iter quotidiana circumuolutione perficiūt: arbores & herbæ nobis flores & fructum producant; bestiae quælibet